DE CHOREA S. VITI AB HELMINTHIASI PROFECTA INAUGURALIS...

Agostino Arici

DE CHOREA S. VITI
AB HELMINTHIASI PROFECTA
INAUGURALIS ACROASIS

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM

IN I. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

CONSEQUENDAM

PUBLICE EXPONIT

AUGUSTINUS ARICI

NOBILIS BRIXIENSIS

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

M. DCCC. XXX

PAVLO · TOSIO

COMITI . BRIXIENSI

HOC . PRIMVM . STVDIORVM

PVBLICVM · EXPERIMENTVM

GRATI . ANIMI . SPECIMEN

AVCTOR . OBSERVANTISSIMVS

D. D. D.

Sane ingens orationis argumentum, Optimi Professores, sane ingens orationis argumentum auspicatissima haec lux mihi sufficeret, si quod animo meo defixum penitus sentio, id quoque verbis expromere concederetur. Neque ego quidquam de medicis rebus in medium prius afferrem, antequam omnem potius in id sermonem converterim, ut palam facerem vobis insignem illam qua afficior, gratitudinem, ob curam summam qua me educastis ob clementiam summam qua me elevastis ad tantam hujusce diei pompam. Verum enim vero legibus obtemperare fas est; quidquam et ego de immenso medicinae campo extrudere et publici juris facere debeo. Proferam itaque parvulam rem non vulgarem prorsus atque communem, ne plane rudis videar, non novam prorsus atque sublimem, ne onus suscepisse videar, quod impar sit humeris meis. De morbo longe miro quem anno elapso conspexi in Clinico hujus Archigymnasii Instituto a praestantissimo Professore Gaspare Federigo prospere evictum, de Chorea inquam Sancti Viti ab bel-

minthiasi prodeunte dicendum mihi propono. Vos hoc quodcumque sit studiorum meorum specimen, solita humanitate suscipere ne recusetis.

Insueta in musculis imperio voluntatis jam subductis, libido ob quam fit ut corpus universum, aut pleraeque, aut nonnullae ejus partes, invito quamvis animo aegrotantis, ad ineptas atque inanes mente et conscientia sana jactationes, atque gesticulationes compulsae sint, illud constituit quod penes Medicos fertur sub nomine Epilepsiae Saltatoriae, Coreomaniae, Ballismi, Scelotyrbis etc. Passim vocarunt etiam morbum S. Viti a Corveyensi S. Viti sacello, quo proba gens morbo vexata adduci solebat deprecatura subsidium. Norit hunc morbum antiquus medicae artis cultor Galenus, nec Medicinae pater ignoravit Hippocrates. Plura autem de eo scripsit Sydnham, Sthol, Bruchmann, Strach, De-Haen, Frank junior, et multi alii. At descriptionem de eo numeris omnibus absolutam tradidit prae caeteris Bernt.

Ingruit morbus S. Viti quandoque absque ullo praevio simptomate, plerumque tamen accedit nonnullis antea enuntiatus prodromis. Proxime advenientem nuntiant hunc morbum respirationis anxietas, et insolita cordis palpitatio, recurrens artuum torpor, vertigo, cephalalgia, animi inquietudo, lacryma involuntaria, nec amplius certa, et fida mentis ministra, et sensuum interpres lingua. Sed invadenti jam morbo tremere incipiunt brachia, et crura, asmathica admodum fieri respiratio, loquela omnis prorsus intercipi, tum vero caput vehementer concuti et antrorsum, retrorsum, ad latera hinc inde inflecti, et oculi una cum cute frontis et crinibus alterne sursum attolli atque deprimi, aut arcte palpebris claudi aut modis torqueri miris. Componitur aliquando os ad osculum, ad risum, ad gemitum; saliunt, desiliunt, subsiliunt musculi omnes faciei. Superiores interea artus

modo vanis ictibus aera feriunt, modo quidquid ultro sese offert, avide arripiunt, mox demissuri, modo extenduntur, et adducuntur vicissim sicuti ad natatum in piscibus branchiae, aut ad volatum in avibus remigia alarum. Convellitur truncus hinc opistotono, hinc emprostotono, hinc pleurostotono, quandoque etiam perpetua versatur rota. Nulli unquam stare queunt, alii continuo currunt, alii continuo saltant, alii aliis exercentur modis nescio an magis ridiculis, an miserandis. Mirum! in adeo gravi organismi totius perturbatione integerrimae solent servari altiores mentis functiones. Paroxismo autem morbi jam deficiente, incusat aeger insignem membrorum imbecillitatem, et intellectualium virium stuporem, ob quem facile obdormiscit, non tamen placido somno et restauranti, sed praegressi accessus reliquiis per intervalla turbato. Et sane adfectio illa de qua agimus, vix unquam typum admittit intermittentem: continuo remittentem fere constanter sibi vindicat nullis caeteroquin legibus obstrictum in exasperationibus suis nec quoad vehementiam, nec quoad tempus.

Potissimae illius adfectionis causae sunt duo: altera in sensili temperamento inquirenda, altera in verminosa colluvie. Temperamenti sensilitatem natura praeprimis indit, fovet primaeva aetas, delicatula corporis compages, sexus infirmitas, primae educationis mollities, labes rachitica, hectica, scrophulosa etc. Ad verminosam vero colluviem plurimum faciunt ea omnia quae digestionem (Hartmanniano utar vocabulo) *mucosam* afferunt, nimius videlicet usus alimentorum, quae albuminosa aut amylacea materie immodice scatent, ut cerealia in genere nec non quaedam canalis gastro-enterici lassities sive debilitas frequens in habitu scrophuloso, in teneriore aetate solemnis. Utrum vero illa digestionis perversitas generationem verminum promoveat, eo quod mucus exu-

berans nidum quemdam modo exhibeat verminum germinibus calore loci evolvendis, an potius eo quod mucus in ductu intestinali abunde collectus ulteriorem gradum vitalitatis possit assumere atque in vermes ipse an conditione illa presenti et tetxus cellulosi vitalitate ultra normam elata evolutioni anthelmintum faveat, migrare genesi, ut ajunt, aequivoca, valde lubenter dijudicandum aliis relinquimus ; neque enim nos tanti sumus qui rite dijudicare posse arbitremur; intime enim sat novimus quantis prematur difficultatibus aequa quaestionis hujus solutio.

Qualis interea manat ex his momentis morbosis abnormis vitae processus qui morbi speciem producat raram adeo atque singularem? Anne illa Hippocraticae *inanitionis* aut *repletionis*, genus? Anne ille aberrans motus *Archei* sicut Helmontii assecla docuit Stholl? An potius roris nervosi fluxus impetuosus, et refluxus per nervos, uti proposuit olim Boherave? Num ipse sibi hiperstenicam assumit diathesim sicut visum est Coryphaeo Italae scholae? Num hipostenicam sequitur, ut Anglus ille Brown est opinatus aut cum irritativa quemadmodum defendit Sennertus? Ast ego longe abhorream a veterum hiphothesibus; abstineam a controverso Diatheseos argumento; quod ipse reor de morbi Parhogenia, candidus et brevis affabor.

Nemo profecto erit qui summis quantumvis labiis attigerit novas theorias nervosi systematis, queis Anatomicae Neotericorum, et Gallorum praeprimis investigationes ansam dedere, nemo dicebam, erit qui nesciat nerveum systema gangliare functionibus vasium propius praeesse, et systema nerveum spinale propius praeesse musculorum functionibus. Quae cum eo pacto sese habeant, jam pronum est videre cur verminatio communius solam exerat febrim, quandoque tamen possit inducere etiam choream S. Viti. Nempe cum illa irritatio quam

ductui enterico afferunt vermes intercedente partium natura, protenditur a gangliari systemate, tum his in vasibus sollicitatur motus abnormis, qui sese prodit sub forma febris: cum autem illa irritatio a gangliari pergit systemate ad systema Spinale proxime ad nexum, tunc is cietur in musculis motus inordinatus, qui sub forma Choreae se prodit: neuter revera obediens medicis curis ni prius abacti sint vermes, neuter aegroti voluntati subditus, quippe illius imperio minime subeunt stimuli illi, quorum actione uterque derivat.

Debellat ars morbum vermes ex organismo eliminando, luxuriantem sensilitatem fibrae infringendo. Quoad postremum hoc attinet, ingenue fateri oportet non adeo facile inverti, atque torpere temperamentum quod nimis sensile natura indidit. Non parum tamen prodesse possunt ea pharmaca, quae specifica quadam ratione agendi nerveum systema appetunt et leni quasi sopore suffundunt.

Eminent in hujusmodi medicaminum classe Hioxiami, Aconiti, Atropae extracta, Morphinae sales etc. Num oppium dabis? raro juvabit. Num Fabam S. Ignatii propinabis? Satius fortasse conducet. Cave tamen, ne dosim excedas talia administrans: Hanemanniana propinanda sunt manu. Mage etiam cave ne sub fallaci larva Nevritidis venaesectiones facile adhibeas: adhibuisse raro profecit, saepe paenituit. Relate ad alteram curationis partem optime vocabuntur in auxilium medicatrices illae substantiae, quae nauseoso quoddam principio vermes pessundant ut Caepa alium, Assafetida quae suctionem et respirationem illis intercipiunt poros obstruendo, ut omnia in genere olea, quae peristalticum intestinorum motum accelerant, adeo ut intus degentia, extra ejiciantur, uti Cathartica et Drastica etc. Ne tamen drasticorum penu abutere, quae cum per sese sint sem-

per plena periculo, eo magis futura fovent in hisce rerum momentis, in quibus adeo lacessitum systema sentiens deprehenditur.

Serius pacato jam morbo, egregium erit consilium pridem enunciatum digestionis vitium ne rursus locum habeat, cavere, quod sat pronum obtinuisse erit amaricantium corticum usum salubriori diaetae adjiciendo. Qui diligentiam hanc flocci faciet, saepe de morbi reditu dolebit: siquidem renovatis causis morbosis, necesse est renoventur etiam effectus.

Non desunt quaedam exempla de morbo S. Viti ex Helminthiasi absque ullo artis subsidio uno aetatis crescentis beneficio superato. Quae quidem vera esse posse non inficiamur; vehementer tamen arguimur medicum, qui haec beneficia naturae iners expectat. Nimium naturae medicatrici confisi saepius in ea malignam novercam, quam matrem benemerentem experiuntur. Nec semper ut predicant, periculo expers est morbus: non raro sibi commissus in Epilepsiam, in Paralisim, in ipsam abiit Apoplexiam; non raro talem adduxit in universo vitae processu revolutionem, ob quam aeger conficitur sub lento pneumonicae tabis martirio.

THESES

I.

Medicamina eminenter drastica in acutis phlogosibus entericis sunt a praxi eliminanda.

II.

Inspiratio cujuscumque substantiae sub vaporis forma ad ulcus pulmonum tollendum inanis evadit.

III.

Saepe potentia nocens, saepius medicamentum est vinum.

IV.

Quod fumiphili nunquam senescant, ut asserit Tissotus, falsum.